

quam in flegmate et sanguine et humore ac felle consistit, quae ex ciborum sucis corruptibilibus colliguntur. Ex his enim oculorum orbis splendescunt, ex his genarum rubor depingitur, visus omnis ornatur. Et  
65 nisi per dies singulos rigentur huiusmodi sucis ex fonte iecoris ascendentibus venis, continuo aridior efficitur cutis, oculi cavantur, rubor omnis e vultu cum omni decore discedit. Quod si diligenter consideras quae sint quae intra illam cutem quae tibi formosa videtur lateant,  
70 quae sint quae intra narem tegantur, quae intra fauces et ventrem, nihil aliud nisi sepulcrum dealbatum pronuntiabis esse ista corporis pulcritudinem quae foris quidem decora apparet hominibus, intus autem plena est sordibus et immunditiis. Tum deinde si in vestimento  
75 videas flegmata vel sputamenta, horrescis et extremis saltem digitis contingere ea refugis, sed et aspectum retorques. Et quomodo cellaria ipsa et horrea flegmatis diligis et concupiscis? Sed tua pulcritudo non erat talis. Quantum enim caelum terra pulcrius, tantum animae  
80 tuae pulcritudo omnem formam quamvis pulcerrimi corporis superabat. Et licet animam corpore nudatam nullus viderit, tamen alias tibi decus eius ex virtutibus conabor ostendere. Nunc autem sufficiat nobis memorare sermonem Domini, quo ait: « Quia erunt sicut angeli Dei ».

15. Quod si etiam in corporibus tanta est differentia eorum dumtaxat quae subtiliora sunt ab his quae graviora videntur et crassiora, verbi gratia, ut caelum terra praestantius, ut ignis aqua, ut stellae sunt lapidibus  
5 pulciores, et ut arcus caeli omnibus qui in terra sunt flo-